





CONCLUSIONES JURIDICÆ  
DE  
**NECESSARIA**  
DEFENSIONE, 1638, 2.

von der

**W O L F H A R D E H S C H**

QVAS  
TRISAGIO ADMINICULANTE,  
MANVS  
OPITULARES ADMINISTRANTE,  
CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO  
VIR O,

DN. JOHANNE REBHAN,  
U. J. D. ET PROF. PUBL. IN INCLUTA  
HAC ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE  
PRÆCEPTORE, ET FAUTORE SUO OMNI  
OBSERVANTIÆ CULTU JUGITER  
PROSEQUENDO, CO-  
LEND O.

PUBLICE PRO INGENII VIRIBUS DE-  
FENDERE CONABITUR.

JOHANNES U. RICUS *Dñm*  
ARGENTINENSIS  
AD DIEM 6. MEN. *Tris.*  
ARGENTORATI  
Typis JOHANNIS REPPIC  
ANNO M. DC. XXXVIIIL

V I R I S

Magnifico, Admodum Reverendo,  
Consultissimo, Experientissimo,  
Excellentissimis.

D N. T O B I Æ S T E D E L I O , Reipubl.  
Patriæ consulari prudentissimo, gravissimo.

D N. J O H A N N I S C H M I D . S S . Theol . D .  
eiusdemque Prof. Public. ordinario, Seniori, Ecclesiastici  
conventus Praesidi, summi Templi Ecclesiastæ, collegiatæ  
Ecclesiæ Thomanæ Præposito, meritissimo, celeberrimo.

D N. J O H A N N I U L R I C O F r i d / J C t o ,  
Reipublic. Patriæ Consiliario & Syndico, amplissimo,  
dexterimo.

D N. J O H . R U D O L P H O S A L T Z M A N N O ,  
Med. D. eiusdemq; Prof. Publ. Collegiatæ Ecclesiæ Tho-  
manæ Decano, Reipublic. Patriæ Archiatro, dignissimo,  
felicissimo.

Dn. Mecœnatibus, Patronis, Fauroribus suis perenni obser-  
vantias cultu suspiciendis, venerandis,  
observandis

Hasce primitias Juridicas  
In sui, suorumq; studiorum commendationem  
dicando consecrat,  
consecrando addicit,  
adicendo offert.

Johannes Ulricus Dürr.



CONCLUSIONUM JURIDICARUM  
DE  
NECESSARIA DE-  
FENSIONE.

Von der

**N O T H E R.**

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.



Uo d si quæpiam moderno seculo materia in  
hoc Themidos theatrum introducenda, vel in  
periculosisimi hujus temporis scenâ pertractâ-  
da; ex omnibus illa est, quæ de necessaria de-  
fensione agit. Ed enim, proh dolor! devenit,  
ut quod Plaut. in Asin. dixit. Homo homini sit  
lupus;

*Et jam serpentum major concordia; parcit  
Cognatus maculus similis fera, quando leoni  
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam  
Expiravit aper majoris dentibus apri?  
Indica tygris agit rabida cum tygride pacem  
Perpetuam; saevus inter se convenit ursis;  
Ast homini ferrum lethale incude nefanda  
Produxisse parum est;*

ut cum Iuvenale, Satyra penult. loquar. Homo hominis causa in  
hanc lucem est procreatus l. 7. ff. de sery export. & natura inter nos  
arctissimam constituit cognitionem. l. 3. ff. de I. & I. Imò teste Se-  
neca lib. 1. de tra. c. 1. in auxilium & adjutorium alterius homo est  
creatus, ut alter alteri in necessitatibus & periculis subveniat. Ve-  
rum hæc omnia inferiora sunt, & ita susque deque habentur, ut vi-  
tae aliorum & saluti inhiare, vix quisquam erubescat, imò prospic-

A 2 cit

cit nos tertimor, scelus istud nefandum chirocratæ, (quod utinam numen avertat Dei!) colophonem tandem huic tragœdiæ, qua pætria, heu nostra! tot annis luditur, impositurum. In tantum ascendunt malitiæ humanæ ausus. Cum autem provida jura defensionis usum adversus hujusmodi violatores privatis etiam permiserint. l. 3. ff. de l. & i. & jus exercendæ publicæ ultionis indulserint. l. 2. C. quand. lic. unic. &c. cum talia pericula plerumque ita compara-ta sint, ut exspectando judicem, cui alias cædium & violentiarū vindicandarum provincia à Deo demandata. l. congruit. 13. ff. de off. pres. vulnus irremediabile accipiat privatus, & post damnum serum sit auxilium magistratus (quam defensionem Imp. & JCTi exindè justam & legitimam appellant, item necessariā, à necessitate, qua cum temporis defensionis actus comprehenditur, ut se aliter periculo eximere quis nequeat, moraque in periculo sit; nostra vernacula cīne recte Nothwehr. P. H. D. Carol. V. Imp. art. 139. item cīne gedrungene Nothwehr. C. I. A. vol. 2. tit. ad L. Corn. de sicar. th. 6. in fin. & homicidium ex ea dependens, cīn gedrängter Todeschlag. Gail. 2. obs. 110. n. 9. item vnvorsichtiger Todeschlag. Gail. dict. loc. n. 15. quod in defendantē non præsumatur dolus & animus occidendi, aut vindictæ cupiditas, sed unicē intentio se defendendi contra vim imminentem, vitæque periculum instans propulsandi. Wesem. in π. ff. ad L. Corn. de sic. n. 21.) Omnia me operæ pretium facturum credidi, si de eâ defensione, cēu materia necessaria & quotidiana, hic paulōuberius dispicerem. Sit ergo fortunante Deo

### CONCLUSIO II.

Omnēs legēs & omnia jura permittunt  
vīm vi repellere, & se defendere. l. 3. ff. de l. & i.

ibi, jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fe-cisse existimetur, & ibi Bart. Bald. & Dd. communiter. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. l. 2. C. quand. lic. unic. ibi jus omnibus indultum exercendæ publicæ ultionis pro quiete, contra latrones. P. H. D. Carol. V. art. 139. c. signifi-casti. 18. extr. de homicid. si verò aliis. 3. extr. de sent. excomm. c. dilecto-filio. 6. de sent. excomm. in 6. Gail. dict. loc. n. 10. ibi, Gewalt mit gewalt zu vertreiben ist nicht verbotten, cui consentit Ovidius lib. 3. de aree-amandi.

Armag in armatos sumere jura finunt.

2. Ed.

17.

2. Et quidem naturâ jus defensionis comparatum esse, patet ex l. i. §. 27 ff. de vi & vi arm. Clement. Pastor. 2. de sentent. & Re judic. vers. caterum. confer. Gail. 2. obf. 110. n. 9. undē etiam cætera quoque animalia hujus juris peritia censentur. l. i. §. 11. ff. si quadr. paup. feciss. dic. quæ, non minus homine, omnem semper vim, quacunque ope possunt, à corpore, à capite, à vita sua propulsant. Omnis enim natura sui conservatrix esse vult, resistens corruptientibus, ut salva sit. Cicero lib. 2. de fin. Nec ullum animal tam pusillum aut imbecillum est, quod non pro virili se defendere laboret, si offendatur & lædatur. Est enim, quod etiam in proverbium abiit, formicæ & serpho bilis; &

Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem;  
Verum etiam instanti lœsa repugnat ovis.

Propert. lib. 2. Eleg. 5.

3. De jure autem divino se contraria vim injustam defendere licere, eò minus dubium est, quo magis Deus non solum autor & fons naturæ meritò laudatur & adoratur, Baldus in l. 31. ff. de IL. sed & Christus Jesus discipulis suis hunc ob finē armorū gestationē non interdixerit, Luc. 22. v. 38. & 49. ut itaq; falsi sint Accursius, Imola, & qui eos sequuntur, distinguentes hīc inter forū fori & forū poli, quas illo, nō hoc quis homicidii hujus commissi innoxius sit. Nam aggressor talis injustus non à defendantē, sed à semetipso occidi videtur. Gail. supr. alleg. loc. n. 9. periens in periculo, in quod gestiit. Non enim attenditur hīc actus causatus, sed eum causans, ut alias actus consecutivus, à prima causa regulatur & gubernatur. Cum itaque hīc in defendantē nec animus propositum ve sit delinquendi, quicquid etiam eventus præstat; ideo nec maleficium, l. 53. ff. de furt. nec peccatum, l. 2. C. ad L. Corn. de sic. commissum dici poterit.

4. Sic ductu naturalis rationis, usu & humanis necessitatibus insuper exigentibus, defensionis jus etiam apud omnes gentes obtinuit, l. 4. ff. ad L. Aquil. scilicet quatenus illa violentia ab injuria & προσεγγίσι profecta, opponitur, quæ defensio tantum ho-

A 3.

minus

minum propria est. Consultissimus Dn. D. Tabor &c. Praeceptor & Patronus meus multijuga animi observantia venerandus. disp. ad π. Wesemb. direct. i. th. 8.

5. JUS demum CIVILE more suo juri naturæ, neque in totum inserviens, neque in totum ab eo recedens, sed in ordine ad materiales circumstatiæ id Republicæ applicans, l. 6. ff. de I. & L. vim vi repellere ita permisit, ut id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. videantur textus l. 3. d. ff. de I. & I. §. 2. Instit. de L. Aquil. l. 4. i. l. 45. §. 4. l. 52. §. tabernarius. 1. ff. eod. l. 12. §. 1. ff. quod met. caus. l. 1. §. 27. l. 3. §. 9. l. 17. ff. de vi & vi arm. l. 1. §. penult. l. 9. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 1. C. und. vi. l. 1. & 2. C. quand. lic. unic. Adstipulatur & Jus Feudale. cap. 1. §. si quis hominem. de pac. tenend. 2. Feud. 27. Jus novissimum Constit. crimin. Carol. V. Imper. artic. 139. item artic. 140. Accedit & Jus Saxonum, Landrecht lib. 3. art. 78. post. med. ibi. Wundet ein Man seinen Herren vnd schlägt ihn todt / in nothwehr seines Leibs / oder der Herr den Man / Er thut daran wider seine trewe nicht / ob die Nothwehr mit recht beweiset wird. iuxta. ibid. gloss. Et facit Landrecht. libr. 2. art. 62. circ. fin.

6. Quæ omnia postremum liberaliore ferè manu in jus suum Pontifices retulerunt, ut videre licet ex c. non in inferenda. 23. q. 3. c. quia te. 38. dist. 5 c. c. si vero. 3. c. ex tenore 10. de sent. excomm. c. dilecto. de sentent. excomm. in 6. & ibi Domin. de S. Gemin. cap. significasti. extr: de homicid. c. interfecisti eod. Angelus de Clavasio. in cas. conc. verb defensio.

7. Princeps itaque nulla constitutione jus hoc abrogare, interdicere, aut in totum tollere potest. Princeps enim naturalia jura & gentium tollere nequit, quippe immutabilia, §. sed naturalia. de I. N. G. & C. nec rationem naturalem autoritas senatus. l. 8. ff. de cap. dimittit. l. 2. ff. de usufr. ear. rer. clement. Pastor al. verb. ceterum, de Re judicat. & ibi Petr. de Anchorno. n. 24. Zabarell. vers. ceterum. Multò minus tolli potest per statutum, arg. l. 6. C. de serv. & aqua. Angel. de clavas. de cas. conc. verb. defensio.

8. Et

8. Et peccatis, qui in vita discrimine constitutus, cum justè possit, se non defendit.

Sanè sunt quidam qui afferunt, quod excellentis charitatis actus sit, postponere vitam suam temporalem, spirituali proximi, ac satius esse succumbere, quam alium occidere, quod suxerunt ex capitulo nostrum 23. q. 5. Rectius tamen glossa in l. 35. ff. de religios. & sumpt. fun. Castrensis in l. 1. §. jus gentium de I. & I. existimant, sine peccato mortali nemini licere mortem obire, si se ipsum defendere possit, occidendo alium. Plus enim tenetur homo vita suæ providere, quam vita alienæ. Thomas de Aquin. 2. 2. q. 64. n. 7. Vivian. lib. 5. ration. 1. can. tit. 12. p. 67. Et insanum eum esse dicit, qui ita aliquem diligit, ut se ipsum negligat, glossa in c. nisi extr. de aut. & usu pall. siue homicidiam, Bayonensis ad præcept. 5. decalog. sect. 3. c. 5. q. 10. arg. l. 21. ff. de V. S. & exinde reum Gehennæ. Salomon. ad d. l. 3. de I. & l. n. 15. non tantum, quod contra præceptum charitatis peccet, quo jubemur proximum diligere sicut nos metipso; sed &, quia nemo est dominus membrorum suorum, nec vita. l. 13. in pr. ad L. Aquil. sed custos tantum & depositarius. Bayonensis d. l. sect. 3. cap. 2. q. 11. quam cum omni jure permittente tueri possit, imò ex præordinata charitate debeat. Ephes. 5. v. 29. sua quasi culpâ & negligentia amittere videatur, Krembergk in tr. de necess. defens. q. 1. n. 50. Quilibet enim laborare debet, quantum possibile & in se, ut mortem fugiat, & ubi amplius fugere non potest, se misericordiæ Dei committere, c. quaritur. 22. q. 2. c. si nulla. 23. q. 8. ubi contrarium faciens, Deum tentare dicitur. Petrus de Anchorano. ad Clement. Pastoral. de Rejudic. n. 14.

9. Permissa autem est justa sui defensio omnibus contra omnes, qui vim injistarum atque injuriam inferunt. supra enim allegatae leges, ut l. 3. de I. & I. l. 4. s. l. 45 §. 4. ad L. Aquil. l. 12. §. 1. ff. quod met. cauf. l. 1. & 2. C. quand. lic. unic. l. 1. C. und. vi. P. H. D. Carol. V. Imper. art. 139. generaliter omnibus contra quosvis hanc potestatem concedunt, cumque eadem, ut diximus, suo modo etiam de jure naturali obtineat, facile exinde colligi potest, id absque distinctione & respectu personarum esse accipiendum, adeò, ut hac generalitate moti, & Imperatorem. & Parentes sub eadem comprehendendi

prehendi, Dd. cōmuniter, (sed curiosius nec sine scādulo, quæ enim satis justa causa in parricidio ad patrocinia sceleris prætexi potest? *Justin. lib. 10. c. 1. v. 4.*) afferant, probent, vid. *Bodin. lib. 2. de Republ. 5. Treutl. 2. disp. 38. th. 6. lit. F.* quāvis in hoc vere, quod ubi vis & injuria, ibi locus sit defensioni. *d. l. 3. ff. de l. & l.* Et lege non distinguente, nec nostrum est distinguere, *arg. l. 8. ff. de Public. in rem action.*

10. De Præceptoribus, quibus quidem plus ferē Alexandri M. sententiā, debere videmur, quam parentibus; ut potè cum ab his solum vivere, benē autē vivere ab illis habere dicamur. Hic quærere liceat, si illi castigationis modum excedant, & discipulovim inferant, an discipulus illis resistere, ac vim injuriāque illatam vi repellere possit? Sanè si maleficiorum & deperditorum ingeniorum discipulos nequam, in scenam & exemplum producere velimus, deprehendemus plures, qui vel propter levem etiam castigationem præceptores suos omnino occiderunt; vel viperinam iis, ut dicitur, mercedem persolverunt. Linum illum Poëtam & Musicum excellentem ab Hercule, dum illum rusticū canentem, nimis corripuisse, pletri infictu interfecit, fert. *Diodor. Sic. l. 3. c. 67.* & alii. Nero Senecam familiarem præceptoremque suum ad eligendæ mortis coegerit arbitrium. *Sueton. lib. 6. c. 35.* *Tacit. 15. A. c. 61.* Johannes Scotus à pueris, quos docebat, graphiis perforatus, animam inter dolores exquisitissimos exhalavit. *Matthæus Westmonasteriensis ad annum Domini 15CCCLXXXIII. p. 172.* referente Magiro in polymnemonie p. 1890. Quo crimine nec nostra tempora, nefas! vacant, ubi præceptorum salutem discipulis in tyroeinium artis cedere, satis frequens est, odio ex minima forsan correctione concepto, in vindictæ occasionem dilato. Viperæ! Cuculi! indigni etiam discipuli nomine, si vel exemplo, quod in l. 2. §. 24. de Orig. Tur. refertur, judicentur. Utique castigatio in negligentes, vel contumaces, vel lascivientes discipulos, præceptoribus concessa est, quod satis edocent, *l. 13. §. 4. ff. Locat. l. 5. §. fin. ff. ad L. Aquil.* Non autem credemus, quempiam fore, qui hac potestate sua ita nefariè abusurus & officiū limites transiliturus sit, ut iis, quos patris instar diligat, moneat, doceat. *d. l. 5. §. fin. ad L. Aquil.* vicissim vim injuriamque inferat, cū enim ibi. Latronis non præceptoris jure censeatur, *arg. l. 5. ff. ad*

L. Poma

L. Pomp. de parricid. omnino & ipsi metuenda Dei ac discipuli ju-  
stissima vindicta & defensio.

19.

## II. De Magistratu vim atque injuriam alicui inferente, an eidem possit resisti?

Magis ardua & spinosa est quæstio. Pernic<sup>I</sup> E S V I T A , & infe-  
lix istud Lolium, Loiolitæ, sparserunt hactenus in vulgus satis  
turbulenta & sanguinaria consilia, supremos etiam magistratus,  
optimos, maximos, principes, unctos domini, qui ne guttulam qui-  
dem tyrannici sanguinis in se habent, si illorum voto & voluntati  
non assentiant, è medio à quovis etiam privato tolli posse & de-  
bere, asserentes, istosque assassinos in numerum sanctorum refe-  
rentes. Sed nos impias illorum conjurationes & nefanda consilia  
serio improbamus, detestamur, & ad orcum ablegamus. Quatenus  
auté præsens quæstio subjectam hāc necessariæ defensionis mate-  
riam cōtingit, distinctionis fœdere eam componimus, nempe ma-  
gistratus vel de facto & contra jus extrajudicialiter vel in judicio  
procedit contra aliquem injuriosè, & violenter. Priori casu quili-  
bet ei resistere potest l.5.l.7.C. de Iur. Fisc. l. 3:§ 1. ff. quod. met. caus.  
Nam magistratus jurisdictionis terminos excedens, imprimis ex-  
tra judicialiter pro privato habetur. l.32. ff. de Injur. arg. l. qui fun-  
dum. 7. §. si tutor. ff. pro Empt. At si injuriam & vim infert, jurisdi-  
ctionis terminos egreditur, quippe magistratus potius est defende-  
re & tueri. 1. ad Timoth. 2. v. 2. quam perdere. Ergò omni jure con-  
tra illum me defendere, concessum. Zabarell. in clement. pastoral.  
vers. ceterum. de Re judic. At si de facto procedat, contra jus in judi-  
cio, videndum est, an damnum sit reparabile, puta per remedia ju-  
ris, per viam supplicationis, appellationis &c. hoc casu ipsi vi op-  
posita non videtur resistendum. Cum magistratus eâ de causâ con-  
veniri possit. l.32. ff. de Injur. l.29. §. 7. ff. ad L Aquil. Si verò gravamen  
sit irreparabile, utpote mors vel tortura, vel quæ conscientiam læ-  
dant, vel expressè contra ipsum Deum sint, ipsi obtemperandum  
non est. Nam magistrati quidem obediendum est, at magis Deo,  
cum lex inferior cedat majori. Wesemb. in ff. de I. C. 1. n. 15. vid. Matth.  
10. v. 18. Daniel. 3. Act. Apostol. cap. 5. c. quisquis metu. c. nolite timere. ii. q. 3.  
Quia si ei non resistitur, nullo remedio juris damnum deinceps re-  
parari potest. l. 1. C. quand. lic. unic. C. 6.

B

12. An

12. An autem ob defensionem pudicitiae puellæ permisum sit stupratorem interficere? Dubium reddit nō solum Doctorum circa hāc quæstionem opinionum varietas, verum etiam hujus casus raritas, in catalogum eorum referendi, qui vix semel aut bis existant, secund. Bachov. sed cum D. Hadrianum Imperatorem desuper scribentem Martianus JCtus in l. 1. §. pen. ff. ad L. Corn. de Sic. alleget, ut sciens præteream, quod etiamnum legitur apud Paulum 5. sent. 23. puniri scilicet non placuisse Romanis eum, qui stuprum inferentem occidit, cum publico facinore pudorem defendat. Affirmantium sententiam nempe cum internecione expugnantis puellam defendere posse pudorem suum, si periculum istud aliter avertere nequeat, veriorem statuimus. cum enim læsa pudicitia non minus quam vita, cuiusvis salutem contingat, arg. l. 8. § 2. ff. quod met. cay. l. 26. ff. s̄ quis omis. testam. cur ob defensionem illius puella peccare videatur, non videmus. Nam omnibus jus hoc indulatum exercenda publicæ ultionis, pro quiete communi contra latrones &c. l. 2. C. quand. lit. unic. &c. Et defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur. d. l. 2. C. ad L. Corn. de Sic. & ut vita amissa, ita nec virginitas vel castitas corrupta restitui potest, l. unic. C. de rapt. Virg.

----- Nulla reparabilis arte est.

Ovid. Epist. 5. heroid. Redire nescit. Seneca in Agamemn. Imò nec Deum eam suscitare posse, dicit Hieron. in Epist. ad Eustach. De Cust. virg. & ex eo Gratianus in c. si Paulus 38. q. 5. ut ita non malè stupri depulsio sub tutela corporis int. 3. ff. de l. & l. intelligatur à gloss. & Dd. communiter ibidem nec non Treutlero 1. 1. 4. lit. C. quem more suo, sed inibi male reprehendit Bachovius dictam l. 1. §. pen. ff. ad L. Corn. de Sic. ad aliam defendendæ pudicitiae rationem restringens, aut ad illum casum, quo aggressio pudicitiae altero resi stete in aggressio corporis degenerat: Nam illud divinatorum, hoc omnino absconum est, quasi extra corporis aggressionem, imò citra vitæ periculum talis pudicitiae aggressio læsiove fieri possit; vid. P. H. D. Carol. V. Imper. artic. 140. unde etiam talis expugnator pudicitiae violentus ad instar latronis ultimo supplicio afficitur. P. H. D. Carol. V. Imp. art. 119.

13. Ob nudam autem honoris offenditionem,

sionem, quæ verbis & conviciis fit, nemini aliquem impunè occidere posse justius dicimus. Quanquam enim quilibet bonæ famæ & existimationis suæ rationem habere debeat. l. 43. in pr. Mand. N. 30. cap. 7. Et crudelis sit, qui confidens conscientiæ, famam negligat, Augustinus: Imò melius sit mori quam vilipendi, secundum Baldum cens. 212. col. 1. l. 4.

Iactura gravis temporis est, major honoris.

Nam vita nihil sicuti cassa dignitas est.

Scalig. lib. 1. Epidorp. Et vita & fama pati passu ambulent. l. 9. ff. de Manumiss. vindict. l. 8. §. 2. ff. quod met. caus. l. 26. in pr. ff. si quis omis. caus. l. 36. in fin. ff. de fideicomm. Et bona fama sit thesaurus inestimabilis; non tamen propterea cædes infligenda, quippe dispar est ratio in vitæ & famæ defensione. l. 25. §. 1. ff. de procur. l. 38. §. pen. ff. ad L. Iul. de adult. cum alia remedia pro illa sint in promptu. Nam injuria nostræ existimationi illata, vel retorsione illicè repelli. l. 25. ff. de Procur. vel actione injuriarum, aut recantatione reparari potest, tot. cit. ff. de Injur. At vita semel amissa, recuperari nequit. Ubi autem alia defensio præstò est, ibi violenta defensio non meretur excusationem. l. 45. §. qui cum aliter. ff. ad L. Aquil. Quia non est defensio, sed ultio, quæ jure prohibita, l. nullus 14. C. de Iudeis. d. l. Scientiam. 43. §. qui cum aliter. ff. ad L. Aquil. l. unic. C. ne quis in sua caus. l. nullus 10. ff. de Test. l. omnibus. C. eod. Deinde nemo cum cæde alterius se defendere potest, nisi se aliter tueri non possit. d. l. Scientiam 42. §. qui cum aliter. ff. ad L. Aquil. At fama sine cæde alterius potest defendi, actione nimis injuriarum, quâ & criminaliter & civiliter experiri quis potest, nec refert, an plebejus & homo vilis Nobilem, Clarissimum, & in honore magno constitutum, convitiis obruat, ut referre existimavit Salomonius: Quanquam enim hic verbalis defensio deficere videatur, quia par contumelia referri nequit, tamen cum hanc injuriam actione instituta vindicare, & ita existimationis lœsæ restitutionem recuperare possit, non est quod juris auxilio neglecto, vim faciat.

14. De bonis nostris an pro iis tuendis  
et quæ ac pro corpore defendendo liceat

B. 2

inva-

b.3  
sub

**invasores depellere & occidere?** Acior inter  
I Ctos disceptatio est. Nam 100. allegat Dd. Ayrer in tractatu de  
homicid. necess. part. 1. n. 156. quibus facile negotio totidem insuper  
addi possent, si auctoritatibus nobis esset depugnandum, qui pro  
defensione rerum invasorem etiam occidi posse, statuunt. Nam  
res dicunt, sunt quasi secundus hominis sanguis, & media ad vi  
tam sustentandam necessaria. gloss. in l. Advocat. C. de Advocat. di  
vers. judic. Iason. in l. nec quicquam. §. ubi decretum num. 2. de off. protos.  
& in illo Hesiodi, pecunia anima miseris mortalibus, dicitur. Er  
gò peraque ut vita defendi posse, ajunt. Sed nobis haec opinio ini  
qua esse videtur, quia inter rerum & vita defensionem maxima est  
differentia. Nam homines sunt nobilissimae creaturæ, ad imagi  
nem Dei creatæ, quorum respectu res sunt vilissimæ, nec per se, sed  
hominum gratia introductæ. l. 28. in fin. ff. de Usur. Et vita hominis  
nisi in continentia defendatur, semel amissa, reparari nequit; semel  
occisus homo non recuperatur, uti. Periclem apud Plutarchum dixi  
se autor est Nic. Bellus l. 2. disc. politic. 39. At res verò ablatæ adhuc  
aliis modis repeti possunt. Hinc concludimus propter rerum con  
servationem invasorem licitum non esse occidere, nisi simul vita  
periculum concurrat; & ille resistat, qui res occupat; absurdum  
enim est, animas hominum, quibuscunque vasis vel vestimentis  
postponi. l. 21. C. de SS. Eccles. c. si perfodiens, c. suscepimus extr. de homi  
cid. l. si ex plagi. §. tabernarius. ff. ad L. Aquil. l. furem. 9. ff. ad L. Corn. de  
Sic. Potes ergò res tuas defendere, sed in defensione non ad homi  
cidium usque progredi, nisi forte alter tibi resisteret, & te in discri  
men vita adduceret.

15. Vidimus jam, qui possint se defendere & contra quos  
& ob quam rem, addimus & haec. An etiam injuria &  
vis consanguineis illata vi repelli possit?  
Nos ducti ratione & autoritate dicimus, quod teneatur pater filiu  
& è contrà (quia nullus est affectus, qui vincat paternum. l. 8. ff.  
quod met. caus. & eadem persona filius cum patre judicatur, l. si quis.  
duobus. C. de impub. & aliorum sublit. Item injuria patri facta, filio  
quoque facta censemur, l. i. §. 4. & 5. ff. de Injur.) maritus uxorem, &  
& contrà frater, fratrem, consanguineus consanguineum defend  
ere. Pro hoc faciunt autoritates tum sacræ, tum profanæ. Gen. 14. v.  
13. Exod. 2. v. 11. & 12. Num. 35. v. 19. & 21. Act. 7. v. 24. l. i. §. 4. de Sic. l. 1.  
l. 3. d. 6.

16. Imō Extraneo in discrimine mortis  
constituto, succurrere proximum teneri,  
si id absque corporis sui periculo facere  
posse manifestum sit, afferimus, moti fundamentis  
ex Jure divino, Canonico & Civili desumptis. Jure divi-  
no debemus proximum nostrum diligere, sicut nos ipsos. Matth.  
22. vers. 39. & 40. Marc. 12. vers. 31. Luc. 10. vers. 30. Ioh. 3. vers. 16.  
Jam nos ipsos defendere debemus, ut supra dictum, ergo & proxi-  
mum, quo cum vinculo charitatis cohæremus, Bayonens. dict. sect. 5.  
q. 43. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad in-  
teritum liberare ne cesses: si dixeris, vires non sufficiunt, qui in-  
specto est cordis, ipse intelliget. Proverb. 24. vers. 11. & 12.  
Jure Canonico per cap. sicut dignum: §. illi etiam. extr. de homi-  
cidio. c. non in inferenda. 23. quæst. 3. c. seq. c. fortitudo & c. ultim. 23. q. 3.  
Jure Civili, per arg. l. si quis. 7. §. 9. ff. defurt. l. 109. l. 50. ff. de R. I.  
ubi dicitur, culpa non carere eū, qui scit, & non prohibet, si queat  
prohibere. P. H. O. art. 150. vers. item so cinc. Damhouder. cap. 8. n. 1.  
Cuivis homini iura permittunt se defendere, ac citra crimen omne  
protegere confratrem suum, etiam ignotissimum, ab altero gravi-  
ter oppressum. Ergo è contrariò, qui damnum avertere potest, &  
id negligit reus est culpas, quod & disertè respondetur in l. 45. in pr.  
ff. ad L. Aquil. l. 3. ff. de nox. act. l. 3. §. 4. ff. ad L. Corn de Sic. l. 2. C. de comm.  
& mercat. Nam quicunque patitur peccare peccantem, is vires sub-  
ministrat audaciæ: c. qui potest, c. fortitudo. c. ostendit. 23. q. 3. c. quantæ.  
47. de sent. excom. Domin. de S. Gemin. ad c. dilectio de sent. excom in 6. Ar-  
nobius l. 4. adversus gentes, & teste Paulo ICto. id tenetur quis alteri  
præstare, quod sibi non nocet, & alteri prodest. l. 2. §. quamquam. ff.  
de aq. & aq. pluv. arc. Et interest hominis hominem beneficio affici,  
ex Papiniani sententia. l. 7. ff. de serv. export. Unde Cicero eum, qui  
non obstat, si potest injuriæ, tam esse in vitio statuit, quām si pa-  
rentes, aut amicos, aut patriam deserat, cuius sententiam probavit.  
D. Ambrosius in d. c. non in inferenda. Et Seneca ait, si justus es, non so-

Hoc non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis. Nam nihil noce-  
re, non est justitia, sed abstinentia alieni. Sic etiam *Plato* l.5. de *LL.*  
qui non infert, inquit, injuriam, honorari debet, qui vero nec ali-  
id facere permittit, duplice honore dignus est. Idem apud *Xeno-*  
*phantem* *Cyrum* dixisse legimus: Nihil est justius quam propulsare  
injuriam, pulchrius tamen est amicis succurrere. Pulchre hanc de se  
*Lacteus* ille *Lactantius* l.6. *inst. divin. c. 12.* Qui bonum, inquit, consan-  
guineo vel proximo vel amico facit, aut nullam, aut certe non ma-  
gnam laudem meretur, quia facere debet, sitque impius ac detesta-  
bilis, nisi fecerit id, quod ab eo & natura ipsa & necessitudo exigit,  
& si facit, non tam gloriæ assequendæ, quam reprehensionis vita-  
næ causa facit, & idem *Lact. l.6 inst. divin. c. 11.* ait, qui succurrere pe-  
nituro potest, & non succurrit, occidit. Et referente *Salomonio* in  
*reper. l. ut vim. num. 18. ff. de l. & I.* Innocentius Quartus in concilio  
Lugdunensi injuriæ participem eum esse dicit, qui cum potest, e-  
genti proximo non præbet auxilium. Et scribit *Chaffanæ ad consult.*  
*Burgund. rubr. 1. §. 5. n. 74.* quod & is, qui facto resistere potest, ne  
alicui injuria fiat, nec tamen resistit, teneatur, ac si ipse injuriam  
intulisset. Inde Solon, beatas dictavit Res publicas, in quibus quis-  
que alterius injuriam suam existimaret, rectèque *Ovidius* 13. *Me-*  
*zamorph.*

*Et caret auxilio, qui non tulit, utq[ue] reliquit,  
Sic linquendus erit, legem sibi dixerat ipse.*

Præsertim si ab injuriato acclametur, & ad adjuvandum eum solli-  
citetur, quod *Bart.* in practica notandum esse dicit, referente *Angel.*  
*Aret. in tr. de malef. §. & dictus Titius. n. 2. & ibi August. B. nfrancisc.* qui  
consuetudine hoc inventum dicit, ut oppressi acclament, succurri-  
te, adjuvate &c. *Angelus de Clavasio in cas. cons. verb. defensio.*

17. Non tamen indistincte ad insultus  
quosvis cuivis & cuiuslibet interencionis  
vel interficiendi potestas est concessa,  
sed tum demum impunè agit defensor, si, ut supra dictum, adhi-  
beat moderationem, quod moderamen vel moderationem incul-  
patæ tutelæ appellant Imperatores in *l. i. C. und. vi & Dd. communiter,*  
defensio enim ut justa sit, debet ab omni culpa esse remota, & vim  
duntaxat injuriæ que imminentem depellere intendat, non vero  
vindi-

vindictam ultionem ve meditetur, confer. l. 45. §. pen. ff. ad L. Aquil. l.  
3. §. 9. l. 17. ff. de vi & vi arm. l. i. C. quand. lic. unic.

22.

18. Et consistit hoc moderamen in culpa tæ tutelæ in tribus  
hisce, nempe, **Tempore, causa & modo** secun-  
cundum gl. in l. i. C. und. vi. ubi Bartolus. n. 7. Baldus. nu. 10. Gail. obf. n.  
110. n. 9. & seqq. Idem i. de pac. publ. n. 17. & alios, quos salva aliorum  
honore hic sequimur.

19. **Tempore**; nempe ut **defensio fiat**  
**in continentia** in frischer that vnd wehrentem kämpfen/in-  
stante invasore, & durante metu geminatae percussione. Angel. de  
Clavasio de cas. consci. verb. **defensio**, periculique vitæ: ibi enim cum  
deficit jus, ensis & propria ultiæ illud supplet. Bocer. tr. de duell. c. 8.  
n. 7. è contrà metu & periculo finito, & ea quæ ob metum periculi  
concessa, extinguitur; non verò ex intervallo, ibi enim, cum vitæ di-  
scrimen sit remotum, se illo liberare voluisse, interficiendo alium,  
dici non potest, sed omnino vindictam sapit.

20. Non tamen tenetur quis primum  
ictum sustinere, quippe secundum vulgare illud, melius  
est prævenire quam præveniri; vel melius est in tempore occurre-  
re, quam post vulneratam causam remedium querere l. s. C. in quib.  
caus. in integr. restit. l. i. C. quand. lic. unic. l. 4. C. ad L. Corn. de Sic.  
Schneidev. §. 1. instit. de I. N. G. & C. n. 15. Nam

*Dimidium amisit, qui primum exspectat ad ictum.*

Et tu quod cavere potes, stultum est admittere; malo ego hoc pro-  
spicere, quam hunc ulcisci accepta injuria. Terent. in Eun. act. 4. sc. 6.  
Quippe facile contingere potest, ut quis primo ictu pereat, vel ita  
periculosè vulneretur, ut defensioni amplius locus non relinqua-  
tur. Quam sententiam Carol. V. Imper. in constit. criminal. artic. 140.  
expressis verbis comprobat. *Iff auch mit seiner gegenwehr / bis er  
geschlagen wird / zu warten nicht schuldig.* Poterit igitur defensor,  
si viderit arma in se stringi. C. I. A. l. 43. Tit. 8. th. 7. sibi prospicere in  
tempore, ubi enim cunctatio periculosa est, justum est, ut præve-  
nias. l. i. C. quand. lic. unic. Et leges nostræ occidere permittunt ad  
se venientem. d. l. 3. ibi. qui inferendæ cædis voluntate precesserit. l. 4. C. de  
Sic. ibi. ferro se petentem. l. s. ad L. Aquil. & sufficere dicunt aliquem in  
dubio.

dubio vita discrimine constitutum esse. l. 2. C. de Sic. Angel. in d.  
tract. de malef. §. & dictus Titius. num. 26. & ibi. August. Bonfrancis.

21. **Causa:** ut enim defensio locum habeat, vim &  
injuriam præcedere oportet, & propterea ubi non adest violen-  
ta & injuriosa offendit, ibi nec locum habere potest defensio. Ab  
hac enim defensio dependet, mutuusq; inter utrumque respectus  
& ratio, ita ut defensio semper offenditionem referat & respiciat.

22. **Injusta est igitur illa defensio,** si  
quis in ædibus suis locove tuto commo-  
rans, provocatus, licet verbis injuriosis, ex  
formula Thrasonibus istis solemnni, ad  
duellum compareat, & in eo provocan-  
tem interficiat. Peccat enim contra utrumque requisito-  
rum defensionis legitimæ. Non enim potest dici, quod id fecerit  
in continenti, necessariò, periculo instanti, vitaque discrimine im-  
minente, animo se defendendi. arg. l. 4. & l. 45. §. pen. ad L. Aquil. Et  
glaucoma solummodo est, quod rectæ rationi obiicitur, scilicet in-  
famia inde resultans, ni provocanti compareat. Nam non tantum  
sufficienter honorem suum tueri potest, respondendo id sibi non  
licere, & si ipsum tentare, an talis sit, libido stimulet, tentet tenta-  
men, & ullibi eum aggrediatur. Verum etiam Christiani pii ac pru-  
dentes vix putabunt honoris jacturam hac ratione quempiam fe-  
cisse, quæcumq; etiam stulta vulgarium hominum opinio sit, quo-  
rum in permultis sanum non est de vera fama judicium, inquit Bayo-  
nensis d. tr. sect. 3. q. 51. Qui enim lædat juriosæ istiusmodi provoca-  
tionis verborum corticis sonus virti boni existimationem & famam,  
resultante in ipsum provocantem omni eo, quod hic subest se-  
quioris notæ, id agens quod bonis moribus est reprobatum, arg. l.  
15. §. 2. & 5. de injur. Cujusmodi farinæ hominis conviciis nullius  
gloria dignitasve violari potest, arg. l. 25. de Procurator. Wesemb. in w.  
ff. de injur. n. 18.

23. **Modo.** Defensio enim debet esse proportionalis  
periculo, & tanta propulsio, quanta est oppugnatio, h.e. inter  
offensionem & defensionem debet esse analogia quædam, ne resi-  
stentia

stantia passionem excedat Garfas ad d.l.3.n.7. in f. de l. & I. Si enim justus metus & discriminis vitæ non manifestò appareat, aut pugnis solum res agatur, sine vitæ periculo, tunc, cum nulla queat esse defensio salutis suæ, non etiā est permisum aliquem occidere, potest tamen se defendere vel repercutiendo pugnis, vel minando cum armis, proijciendo in terram, vel baculo, aliove modo, per quem verisimiliter non mors infertur: cur enim occidatur, qui servari potest?

23.

24. Non tamen æqualitas armorum in justa defensione præcisè requiritur, quodquidam præter sanam rationem & autoritatem affirmarunt. Nam quicquid quis ob tutelam corporis sui facit, id jure facere dicendum est l. 3. de l. & I. & defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur, l. 3 C. ad L. Corn. de Sic. Imò etiam ex ipsius defensionis natura quasi præsupponendum perinde esse, quo armorum genere quis vitam suam defendat, cum aggressor plerunque vim faciat ex proposito, & in omnem eventum instructus veniat, insultato verò inopinatò incomposito terrore perculso, ac in discrimine vitæ constituto, non vacet de paritate armorum prius cogitare, minus deliberare, quæq; vel incontinenti ita comparari non possunt, defensio autem, quæ non incontinenti fit, non sine culpa est, unde nec Florentinus, nec Imperator Gordianus præscribunt, aut discernunt armorum genera, quibus defensio fieri debeat, sed uterque simpliciter loquitur. Ergò nec nos modum præscribere debemus: percussoris verò arbitrio committere, quomodo se alter tueri debeat, tam iniquum est quam stultum illud, validioribus armis, quibus quis defendere possit, abjectis, certiorem salutis viam relinquere & majori se discriminis obijcere: Vires enim multo magis excellunt & excedunt in persona illius, qui aggreditur alium, quam in persona illius, qui aggressus est. August. Bonfrancisc. ad Angel tr. de malef. d.l. n.13. Itaque sic statuimus, vim armatam armis repellendi posse, non verò vim & injuriam inermem, à qua metus mortis abest. Armorum appellatione quæ veniunt videre est ex §. 6. Inst. de interd. l. 41. l. 224. de V.S & ibi Gæd. l. 3 §. 1. ff. de vi & vi arm. l. 9 ff. ad l. 1ul. de vi publ. l. 34. §. 2. ff. de Furt.

25. Nec insultatus indistinctim fugere tenetur, quodquidam Dd. in d.l.3. ff. de I. & I. asseruere, quasi is

C

non

non servet defensionis modum, qui mavult resistere quam fugere,  
per §. 2. Inst. de L. Aquil. l. 45. §. qui cum aliter ff. eod. è contrà plurimi  
vim imminentem non fuga; sed repercussione esse propulsandam  
statuunt per hactenus decantata, & sèpius allegata jura, quæ de-  
fensionem & repulsionem vis illatæ permittunt, quod propulsare  
injuriam & repellere vim, fiat, non pedum celeritate & fugiendo,  
sed manuum validitate & repercutiendo, insuper quod non tan-  
tum ignominiosum sit fugere. l. 3. l. 6. §. qui in acie. ff. de re milit. l. 1.  
in pr. l. 2. C. de his qui not. infam. sed & periculosum, quia fuga ple-  
rumque insultantem reddit à tergo audaciorem, juxta illud,  
qui priori injuriæ non resistit, novam accersit, quæ mente te-  
nenda esse monet Bartol. ijs, qui multam pecuniam lucrare gestiunt,  
referente August. Bonfrancisc. ad Angel. in tr. de malef. §. & dictus Titius n.  
ii. Nos distinguimus & dicimus, aut certum est, insultatum bene-  
ficio fugæ periculum imminens evadere posse, aut incertum &  
dubium est: si prius, eum fugere debere, si omnino innoxius esse  
velit, probamus. Ille enim innoxius tantum est, qui aliter adversus  
vim se tueri non potest, quam id faciendo, quod facit l. 45. §. 4. ibi,  
qui aliter se tueri non possunt, innoxii sunt ff. ad L. Aquil. l. 2. C. ad L. Corn.  
de Sic. ibi in dubio vita discriminé constitutus. Clement. unic. de homic. ibi,  
qui mortem aliter vitare non valet: si vero dubium sit, an effugitus  
quis sit periculum, aggressorem salva conscientia & jure optimo  
exspectare posse, seque defendere, satis probatum ducimus, confer  
P. H. Q. Carol. V. Imp. art. 150. Non quidem ex illa ratione, quod fu-  
gere ignominiosum sit, nec enim omnis fuga turpis vel ignominio-  
sa est, imprimis qua quis saluti suæ consulit, arg. Matth. 2, v. 14. Ioh.  
8. v. ult: sed iij tantum id jure prætexere possunt, qui salutem publi-  
cam, vel suorum & pudicitiam, fuga arrepta, in discriminere lin-  
quunt & prostituunt, arg. l. 8. §. 2. ff. quod met. caus. P. H. Q. d. art. 150..  
sed quod hac ipsa fuga non tantum periculum non evadat, sed in  
præsentius magis se proijciat.

26. Cum itaque omnes leges omniaque Iura permittant,  
vim vi repellere, satis intelligi potest, quod etiamsi quis  
ob tutelam inculpatam corporis sui in-  
terfecerit aggressorem, id omni jure fe-  
cisse sit existimandus, & non solum jure  
fori, sed etiā jure poli innoxius censendus.

Hipp.

Hipp. in pract. §. opportunè n. 27. nullamque animadversionem meratur. l. 2. C. ad L. Corn. de Sic. l. 3. & 4. C. eod. l. ut vim 3. ff. de I. & I. Quicquid enim legitimè factum, nullam pœnam meretur, l. Gracchus 4. in pr. ff. ad l. Iul. de adulst. l. 151. de R. I. l. 1. C. quand lic. unic. P. H. Q. Carol. V. Imp. art. 139. adeò, ut talis defensor qui defensione hac adversarium membro mutilat, vel interficit, nec de impensis, nec de ullo damno heredibus occisi teneatur, neque pœnam fractæ pacis incurrat, arg. l. 55. ff. de R. I. Wesemb. in π C. quand lic. unic. ut nec donatarius ob sui defensionem donatorem interficiens, redonata privari possit. Saxonico quidē jure, hoc casu (interficiens) wird dem Richier in die höchste wette / vnd des entleibten Freundschaft in ein Wehrgeld verdammet. Sachsenpiegel 2. art. 14. vid. Besold. ad l. 3. ff. de I. & I. n. 5.

27.

27. Qui autem moderamen in culpa-  
tæ tutelæ excessit, num pœna ordinaria  
L. Corneliiæ sit puniendus? Quæstio optima & fre-  
quenter in judicijs versata, satis studiosum est, ut in præsenti paucis  
dirimatur: Ubi in negativam inclinamus, hanc ob rationem, quia  
ut pœna L. Corneliiæ locum habeat, verus ac manifestus dolus ad-  
esse debet, adeò, ut ne clata culpa h̄c dolo æquiparetur, l. i. §. Diuus.  
l. 14. l. 16. ad L. Corn. de Sic. Atqui in defensore non præsumitur talis  
dolus. Gail. 2. obs. 110. nu. 15. sed potius necessitas defensionis. Ergo  
nec ex dolo puniendus, sed quatenus excedendo illicite fecit, scil:  
propter errorem & culpam tantum, h. e. propter excessum rei li-  
citæ, nempe defensionis, in qua semper modum tenere difficilli-  
mum. Angel. supr. alleg. tr. de malef. n. 17. & ibi August. Bonfrancisc. &  
Angel. de Clavasio d. l. in cas. consc. num. 5. Est enim ira furor brevis  
Horat Ep. ad Loll. Et insanimus omnes cum irascimur. Stobæus serm.  
18. vid. l. si adulterium 38. §. Imp. ff. ad l. Iul. de adulter. l. quicquid 84. de  
R. I. & ibi Philipp Matthæi. Deinde quia provocatus non habet state-  
ram in manu, ut possit dare ictus & vulnera ad mensuram, in c. olim  
causam de rest. spol. & ab initio justè fecit, qui invitus est, ac justo do-  
lore movetur is, qui ab aggressore provocatus est l. si adulterium 38.  
§. Imp. ff. ad L. Iul. de adulst. l. si quis in gravi 3. §. 3. ff. ad Senatusc. Syllan. &  
l. Gracchus 4. C. ad L. Iul. de adulst. Arbitrio itaq; Judicis puniendum  
cum esse judicamus confer. Schneidevv. ad §. 1. l. de I. N. G. & C. n. 18.  
ubi, quomodo hoc in casu pronuncietur, notat. & August. Bonfran-  
cisc. supr. alleg. l. n. 19. Grivell. decis. Dolan. 26. Treutl. 2. 32. 6.

28. Pro

28. Probare autem debet defensionem  
necessariam coram Iudice Reus, l.i.C.ad L.Cor.

de Sic. quæ canonizata habetur in c. frater vester dist. 50. l. 2. §. 7. C. de Iure-  
jur. P. H. D. art. 141. Est enim facti, & vis atque cædes per se sunt  
actus illiciti & illicitè perpetrata intelliguntur, nisi contrarium  
doceatur: In quo tamen iura ita reo faveant, ut ad probandam ejus

innocentiam testes alias non idoneos admittant per textum in l. in  
X criminalibus §. 3. ff. de quæst. c. tam literis 33. c. veniens 38. extr. de Testib.

Admittitur enim hic testimonium fratrum, consanguineorum, af-  
finium, amicorum familiarium seu domesticorum Iason. in l. 3. ff. de  
I. & I. n. 5. Etiam mulierum, quamvis alias in causis criminalibus,  
præsertim de Jure Canonico ad testimonium, regulariter non ad-  
mittantur. c. mulierum 17. 23. q. 5. Crotus in tract. de test. p. 3. n. 5 2. Quos  
omnes & singulos favor innocentiae reputat idoneos. Gail. l. 1. de Pac.  
publ. 16 n. 22. Imò & conjecturæ hic locum habent, quando scili-  
cet non appareat quis autor rixæ sive primus aggressor arg. l. 5. §. 6. ff.  
dere mil. l. 45. §. 2. ff. ad L. Aquil. & capiuntur ex genere armorum,  
loco, ubi cædes facta dicitur, tempore, persona, tam occisi quam oc-  
cidentis; item inimiciis præcedentibus, vulneribus utrumque ac-  
ceptis, alijsque circumstantijs, antecedentibus & consequentibus,  
quæ omnia sapientis Judicis arbitrio committuntur, vid. P. H. D.  
art. 142. Gail. l. de pac. publ. c. 16. n. 22. Schneidev. ad §. 1. Inst. de I. N. G. &  
C. n. 16. Quod si vero hæc præstare non poterit, revera Reus con-  
demnandus erit. Destitutus enim hisce, causam non bonam habe-  
re præsumitur. Addunt Dd. & hoc, si Reus homicidium se sui de-  
fendendi causa commisso dicat, sed nec testem, nec præsumptio-  
nen pro se habeat, tum ad eruendam veritatem torturæ subijci  
posse; quod Augustus Elector & Dux Saxon: in Novellis suis part.  
§. constit. 8. confirmavit daß zu erkundigung der Warheit disfaß  
dem der sich zur That bekennet/ vnd doch der defension halber nichts  
beweisen kan/ die scharpfe frag zuerkennen sein soll. Nam neq; ab-  
solvi potest, cum fateatur homicidium, nec damnari capitaliter, cū  
qualitate & dolum malum, qui in L Cornelius attenditur, l. in lege ff.  
ad l. Corn. de Sic. neget. Si tamen ex circumstantijs innocentiae su-  
spicio extet, videtur pro arbitrio Judicis absolvi, vide de hoc egre-  
giè differentem Wesemb. in π. ad L. Corn. de Sic. Sed hic figamus an-  
choram cum Deo, ex quo omnia & per quem omnia, l. 5. §. 1. C. de  
Summ. Trinit. illi sit Laus, honor & gloria in sempiterna secula.

F I N I S.

**ULB Halle**  
005 714 745


3



bdz



**Farbkarte #13**



CONCLUSIONES JURIDICÆ

DE

NECESSARIA  
DEFENSIONE,

1638, 2.

von der

**N D I G E S T E**

QVAS  
TRISAGIO ADMINICULANTE,  
MANVS  
OPITULARES ADMINISTRANTE,  
CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO  
VIR O,

DN. JOHANNE REBHAN,  
U. J. D. ET PROF. PUBL. IN INCLUTA  
HAC ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE  
PRÆCEPTORE, ET FAUTORE SUO OMNI  
OBSERVANTIÆ CULTU JUGITER  
PROSEQUENDO, CO.  
LEND.

PUBLICE PRO INGENII VIRIBUS DE-  
FENDERE CONABITUR.

JOHANNES U. RICUS *Dñs*  
ARGENTINENSIS  
AD DIEM 6. MEN. *xbis.*  
ARGENTORATI  
Typis JOHANNIS REPPIC  
ANNO M. DC. XXXVII.

